

*gante* Bertol.; *E. banaticum* Roch. autem, citato synonymo *E. ruthenico* Roch. et Rehb., specie distinxit. Beatus Ledebour (*H. ross.*, II, 654) pariter stirpem Biebersteinianam speciei Linnæanæ conjunxit, — *E. banaticum* Roch., citato synonymo *E. ruthenico* Roch., — duce Candolleo distinguens. Bluff et Fingerhuth (*Comp. fl. germ. ed. alt. consociato Schauer*, II, 373) *E. ruthenicum* M. B. (= *E. banaticum* Roch.) cum pluribus aliis speciebus sub *E. sphærocephalo* L. venditant : *E. ruthenicum* Roch. et *E. humilem* Rehb. verum sistere *E. humilem* M. B. prædicant, cui etiam subjungunt *E. dahuricum* Fisch. (= *E. Gmelini* Led.), quem Candolleus et Ledebour separatim proposuerunt. Visiani, denique (*Flor. dalm.*, II, 26) præeunte Candolleo, *E. elegantem* Bert. *E. ritroni* subjunxit. Nec eum amplius distinxit Nyman. (*Sylloge fl. europ.*, 21). Hosce nodos solvere haud valeo; liceat tamen mihi monere quod specimina *E. ruthenico* M. B. (sensu Grisebachiano) omnino congrua, « in rupestribus nemorosis juxta Oravicza et Csiklova, Banatus, » a *Wierzbicki* lecta, quæ a larga amicissimi Fenzlii manu accepi, setis involucri longioribus, involucrique squamis interioribus dorso scaberulis ab *E. ritrone* discrepant. *E. elegans*, cujus exemplaria possideo a cl. *Orsini* in lapidosis montis Vettore, Piceni, lecta, mihi aperte videtur autonoma, et plane adsentior verbis Bertolonii (*Fl. ital.*, IX, 514) : — « qui vidit utramque plantam » (*E. elegantem* et *ritronem*) « profecto conjungere nequit. » In genere tam naturali, species omni sane jure distinctæ sæpissime notis micrologicis (ut dicunt) et haud primo obtutu conspicuis, distinguuntur, quibus neglectis, a vero naturæ tramite necessario aberrabimus. Equidem, quivis botanicus scit *Echinopsides* cunctos et characteribus et habitu miro modo inter se congruere.

**IXERIS (IXERIDIUM) GREGORII** † : glaberrima, sesquipedalis, caule gracili unifoliato apice ample paniculato-corymboso polycephalo, foliis radicalibus et caulino oblongo-lanceolatis vel ellipticis integris setaceo-dentatis obtusiusculis v. cuspidato-acuminatis in petiolum gracilem laminam æquantem vel superantem attenuatis, bracteis 1-2 ad basin ramulorum inferiorum floriferorum foliis subsimilibus sed minoribus angustioribus et sessilibus, pedicellis gracilibus, capitulis parvis, involuero cylindrico basi setaceo-calyculato 8-phylo phyllis linearibus obtusiusculis hyalino-marginatis sub-10-floro, floribus luteis, achæniis linearibus in rostrum æquilongum attenuatis 10-costatis muricatulo-scabris, pappo uniseriali sordide fulvescente apici parvo disciformi rostri insidente.

In prov. Fokien collegit am. *Guib. Gregory*. Maio 1857. (Herb. propr., no. 1233.)

Affinis videtur *Lactucæ lævigatæ* DC.

OBS. — *Youngia sonchifolia* Maxim., cujus specimina in ins. *Silver Island* dicta, prope *Chinkiang*, a cl. *Hay* lecta, aliaque ex muris et viis Pekinensibus a cl. D<sup>re</sup> *S. W. Williams* missa, possideo, rectius generi *Ixeridi* transferenda videtur, ob fructus distincte rostratos. Propinquissima quidem est *Ixeridi ramosissimæ* A. Gray, quo vero sub nomine duplicem latere speciem persuasus sum.

## ERICACEÆ.

OBS. — *Pyrola renifolia* Maxim., cujus specimen ad sinum *Castries*, oræ Mandschuricæ lectum mihi obtulit am. *D. Barthe*, ex mea sententia a *P. chlorantha* Sw. vix separanda. Longitudo bractearum relative ad pedicellos non constans, earumque adhærentia, qua præcipue fretus Maximowiczus de specifica differentia insistit, in speciminibus americanis non inveniuntur; hæc est quidem mera simulata coalescentia, ob prominentiam anguli scapi ubi oritur pedicellus; nam bractea pedicello non est adnata, sed revera inseritur paulo supra ejus basin apparentem, eique adprimitur. Indefessum viatorem, plantam suam cum *P. asarifolia* comparantem, effugisse videtur quod, teste A. Gray, botanicorum americanorum antistite (*Man. bot. N. A., St.*, ed. II, p. 259), duæ stirpes hoc sub nomine a Candolleo aliisque confusæ sint : — Michauxiana, quæ varietas *P. rotundifoliæ* L.; Bigeloviana, quæ pro forma *P. chloranthæ*, Sw. habetur, ab amurensi vix, ut videtur, dignoscenda. Singulare est ut, secundum Ledebourii Floram rossicam, Turczaninovii Floram baicalensi-daluricam, Maximowiczii Floram amurensis ac Indices florarum pekinensis et mongolicæ, Regelii Tentamen floræ ussuriensis, Trautvetterii cum Meyero Florulam ochotensem, Zuccarini, A. Grayii necnon Blackii enumerationes plantarum japonicarum, typica *P. chlorantha* ex Asia boreali-orientali prorsus exsulat, etsi reliquæ plures species Europæ et Americæ communes ibi reperiantur. His in regionibus *P. renifolia*, quam non immerito, ut videtur, geographicam varietatem censeo, in ejus vicem invenitur.

## PRIMULACEÆ.

OBS. — *Androsace patens* C. Wright, cujus specimina formosana a *R. Oldham* lecta possideo, non differre videtur ab *A. saxifragifolia* Bge; exemplaria saltem, ad sinum *Ta-lien-wan* Mandschuriæ, ab amico *Swinhoe* inventa, quæ vix hæsitans stirpi Bungeanæ duco, a formosana planta neutiquam discedunt.